



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-347774-p0001-8

DFG

73
Fr. 4. num. 31. 3

COMMENTATIO HERMENEVTICA

IVRIS ECCLESIASTICI

AD CAP. V. X.

1772

DE SENTENTIA
EXCOMMUNICATIONIS

QVA

ACROATERIVM
IN ACADEMIA KILONIENSI

DENVO APERIT

IOANNES DIETER. MELLmann D.



LVBECAE

APVD CHRIST. GOTTFR. DONATIVM

A. MDCCCLXXIX.

Cap. 5. X.

DE SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS.

Non dubium est , quod hi , qui violentas manus in clericos vel
Canonicos aut cuiuslibet religionis conversos iniiciunt , ex
constitutione Concilii sententiam excommunicationis incur-
rant , nec , nisi in articulo mortis , sine Romano Pontifice
absolutionis possint beneficium impetrare .



Fucata religio —

Tyrrannis sacra, sive monarchia papalis, interna forma per ignorantiae et superstitionis secula satis adornata, tandem adeo continebat de potestatis primatu et de exemptione a republica. Vincet et actum erat de seculari principum inspectione in ecclesiam, quid? quod de ipsa republica ecclesiae subiicienda. Sed pontifices Romani probe gnari non minorem esse virtutem parta tueri, quam quaerere, etiam ad firmandam et conservandam hierarchiam varias artes inventare improba industria enitebantur. Inter multa sedis Romanae arcana eminet dominatio in conscientias, ad quam occupandam clerus in partem sollicitudinis evocabatur. Variae inde constitutiones descendunt carentes scilicet, ne dignatio ministerii sacri vilescat. Inde quoque, ut caetera iura clericorum singularia taceam, originem duxit summa reverentia seu sanctitas clericorum, quae munita adeo est poena excommunicationis, ultra quam ecclesia, quae sanguinem non sitit, in puniendo haud progeditur.

Quod ius singulare nomine peculiari *beneficium canonis* a decretistis appellari solet. Fundamentum vero et sedes huius disciplinae Romanae est decretum *Concilii Lateranensis II.* Innocentius II. Papa, cuius sub auspicio Concilium illud convocabatur, quantum per contentiones in ecclesia licuit, in firmandis, augendisque clericorum iuribus eminere studebat. Ipsam concilii Lateranensis secundi constitutionem exhibit **GRATIANVS** in altera Decreti parte scilicet in *c. 29. l. 17. qu. 4*, ubi hunc in modum legitur:

„*Si quis fudente diabolo huius sacrilegii reatum incurrerit, quod in clericum, vel monachum violentas manus incicerit, anathematis vinculo subiaceat: et nullus episcoporum illum praesummat absolve-re, nisi mortis urgenti periculo, donec Apostolico conspectui suscipiat.*“

X 2

c. 29. l. 17. qu. 4.

Ad

Ad hos laudatum Concilii Lateranensis decretum locus noster respicere videtur. Id suadent certe verba: *Non dubium est, quod, quae constitutionem iam antea laram spirant, id, quod et verba subsequentia, ex Constitutione Concilii, procul dubio confirmant.* Quae coniectura si vera sit, indagavimus ipsum fontem canonis nostri, ex quo dulcius semper aquae bibuntur: fin minus, et hic certe coniuncta iuvabunt.

Caeterum amice conspirant nostrarae constitutiones. In utraque enim agitur, ut statui clericali summa, quae in homines ullo modo cedere posset, sanctitas tribuatur; deinde, ut iniuriae reales clericis illatae atrocissima poena ecclesiastica, excommunicatione scilicet *maiori* puniantur. Haec sunt summa canonis nostri capita brevibus a nobis illustranda.

Reverentiam speciatim verbi divini ministris, praesertim iis, qui auctu et rite officio sacro fungantur, omnino esse tribuendam, suadent et ipsius ministerii dignitas, et salus reipublicae. Sed iam supra obiter quidem monuimus, singularem fuisse ecclesiae Romanae disciplinam, quod clericos summis honoribus et summa sanctitate ornaverit. Quia in re, uti in aliis doctrinalis, Antistites Romani a simplicitate iuris ecclesiastici, et a sapientissimis sacri Codicis praeceptis longe recesserunt. Sed pluribus videamus, et diuidicemus fundamenta illius doctrinae palpis. Secundum placita iuris Pontificii duo omnino sunt genera Christianorum. Quorum unum divino officio tantum vocans, et quod ipse Deus sibi, ita enim perhibent, elegerit, *clerus* a voce graeca λαός id est fors dei vocatur.

Hoc Christianorum genus pone sequuntur *Laici* scilicet a vocabulo graeco λαός ita denominati. Hi infimae sortis Christiani, seu proletarii, ut ita dicam, rebus temporalibus sive negotiis humanis ut glebae adscripti censentur. Concessum iis est, uxores ducere, terram colere, iudicare, causas agere et, ne multa, negotiis humanis vacare. Ne autem vitae, et negotiorum virtutis obruti Deum et salutem aeternam plane amittant; benefaciendo peccata extinguere et ita sanctorum clericorumque intercessione venali servari possunt. Hanc ergo ob causam ad animam scilicet redimendam licet oblationes altari imponere, decimas reddere et denique benefaciendo animum Deo devotum testari.

Sed relinquamus Laicos eorum fato, de clericis potius, quos Deus ad meliora vocaverit, nobis erit disputandum. Munus, quod sanctis hisce hominibus incumbit, in meditatione verbi Divini, et oratione potissimum versatur. Clerici ergo cum, uti ex hisce patet, pars et fors Dei videantur, nihil nisi Deum curare et ob id ipsum ab omni negotio civili

civili longe remoti esse debent. Quae cum ita sint, et clerici, sicuti Levi-
tae, nullam partem inter caeteras tribus habentes decimis et oblationi-
bus sunt alendi.

Hicse interioribus regni Pontificii perspectis, nunc in clara luce re-
fulgent splendida clericorum in iure Pontificio nomina, et summa sancti-
tas cum statu clericali conjuncta. Ita clerici passim vocantur, pars, et
fors Dei, portio Domini, Deo devoti, religionis conversi, ut alia eius-
dem generis nomina raceam. Inde etiam istis hominibus Regia quae-
dam Maiestas tribura est a prona ad serviendum antiquitate. *Reges sunt
clericis, inquit, HIERONYMVS, quia se aliosque in virtutibus reg-
gunt, et in Deo regnum habent.* In signum huius regni spiritualis scili-
cer in ecclesia Romana a septimo seculo inde introducta est prima tonsu-
ra seu capitinis rasio coronam quandam designans, quae et temporalium
depositio in canonibus vocari solet. Per hanc tonsuram seu potius so-
lemnem crinium refectionem, aut si ita appellare placeat, per hunc cor-
onationem ecclesiasticum clerici novitii praeparari ac disponi dicuntur
ad ordinem suscipiendum. Qua rite peracta clerici canonice destinati,
seu designati ad ministerium in ecclesia obeundum, splendidis illis fru-
untur iuribus, quae e statu clericali pendeant. Quicunque ergo in ec-
clesia Romana ad iura clericorum adspiret, clericus tonsuratus sit, necesse
est, quamquam ordinatio necessario non esse debeat.

Proinde regia illa maiestas caeteraque clericorum singularia iura
recte tribuuntur omnibus canonice tonsuratis nulla habitratione discri-
minis clericorum, quod ex collatione et differentia ordinum tum maio-
rum tum quatuor minorum in ecclesia Romana solet existere. Inde
evenit ut, in constitutionibus in limine communitatis nostrae lauda-
tis, modo clericorum in genere fiat mentio, modo Canonicorum et
Monachorum. Omnes enim sunt canonice tonsurati, ideoque clerici,
omnes sunt reges spirituales corona ecclesiastica nimirum ornati, et
personae sacrofanciae. Monachi quidem, quamquam qua tales clerici
non sint, cum vita monachalis seu religiosa ad determinatum cultum
divinum secundum approbatam regulam sub votis agendam sit directa;
tamen ad amplificationem cultus divini statum clericalem suscipere mo-
nente superiori iubentur.

Clem. I. §. 8. de stat. Monachor. Quod autem ad Canonicos nomi-
natim attinet, inter eos recipiendos ordinibus minoribus, vel saltim
tonsura, et si ad ius capituli adspirant, ordine subdiaconatus initiatos esse,
legibus statutum est.

(3

Clem.

c. 6. X. de Transact.

c. II. X. de act. et quae praef.

Clem. I. §. §. de stat. Monach.

Clem. 2. de act. et qual. praef. Cum ergo, ut modo vidimus, statui clericali regia adeo maiestas quaedam ex placitis episcoporum Romanorum tribueretur: quid, quaeſo, mirum, eidem statui et summam sanctitatem ex iisdem principiis esse concessam? atque hoc est primum canonis nostri caput, cuius naturam ac indolem pro ratione instituti illustrare huc usque conati sumus.

Stabilita ideo sanctitate clericorum episcopi Romani usu edocti, et optimas leges sine metu poenarum vanas ac irritas fieri, Conſitionem illam munientam duxerunt poena excommunicationis, adhibita olim ſacripifime in remedium imperii hierarchici, et demominationis. Legislatori autem cum in decernendis poenis ad delictorum gravitatem fit respiciendum; etiam Antiftitis Romani huius Consilii memores violacionem ſeu laefam clericorum maiestatem, quam salvam eſſe, tyrranidis sacrae omnino intererat, ultima poena puniri iubent, ultra quam ecclesia non habet, quid faciat, uti teſtatur in c. X. de Iudiciis Caeleſtinus fēdis Romanae moderator. Et quidem reſte, ut mihi videretur, ſecundum regni augſtī, et ſancti illius finis leges ſupra a nobis expositas. Clerici nimirum deo devoti credeabant reges ſpirituales, dignitate ſumma, quid? quod quadam maiestate divina inſignes. Quicquid ergo ad eos laedendos ageretur, crimen laefae maiestatis ſpirabat, quod et peculiari iuris Pontificii ſtilo *sacrilegium* vocatur.

Inde clarent verba decreti Concilii Lateranensis,

Si quis fraudente diabolo huius sacrilegii reatum incurrit.

Ex talibus cauſis et principiis violatio clericorum ſeu ihiuriæ reales illis illatae excommunicatione maiori puniri iubentur. Maiorem autem excommunicationem hic intelligi diſerte patet ex decreto Concilii Lateranensis, vbi *anathema* dicitur. Maior enim excommunicatio vel *anathema*, vel *bannum* nuncupatur, quippe quae membrum ecclesiae a tota ecclesia, et ideo ab omnibus ſocietatis Christianæ iuribus plane excludit; cum excommunicatio minor, quod ſcilicet a cultu ecclesiastico et ab uſu sacramentorum removet, potius ad *Censuras*, quam ad poenas ecclesiasticas referatur. Prior excommunicatio atrocissima eſt poena et, quanquam non vi propria, tamen errore et ſumma iniuitate communione adeo iurium in republica ſolet privare. c. i. h. t. in 6to. atque inde ortum tritum illud brocardicon:

Os, orare, vale, communio, mensa, negatur.

Cum ergo extrema ſit ecclesiae censura, nec niſi ex iusta cauſa et aliis poenis fruſtra adhibitis, uſurpanda, et in noſtra cauſa merito demum ob iuriias reales clericis illatas decernitur. Id nempe ſignificant verba, quid *violentas manus* &c. quae in loco noſtro leguntur.

Poena

Clem. 2. de act. et quaeſo. praef. c. 4. l. 24. qu. 3. c. i. de ſent. ex c. in 6. c. X. de Iudiciis.

Poenae ecclesiasticae etiam in hunc finem decernuntur, ut aberantes in rectam reducant viam. Qua de re ab episcopo, vel alio iudice competenti, qui tales poenas antea decreverit, declarata poenitentia e regula quoque tolluntur. Sed singulare quoddam receptum est in tollenda excommunicatione ob iniuriam clericu illatam decreta. Violatio enim clericu cum, ut supra monuimus, crimen omnino fit laesae cuiusdam maiestatis divinae, secundum placita ecclesiae Romanae a nullo episcopo tolli poterit, nisi a summo ecclesiae illius moderatore, qui Romae sedere solet, excepto solo mortis urgenti periculo. Proferantur enim a Pontifice, mirifice dictu, et feruntur in ecclesia sequentia dictaria: Pontificem non audi hominis, sed veri Dei vicem gerere in terris; Dei locum tenere; et Christi vicariatum agere. Proinde ad plenitudinem potestatis papalis, de cuius finibus alias admodum contenditur in aula et ecclesia Romana, refertur absolutio ab excommunicatione maiori ob iniuriam clericu illatam decreta. Haec sunt, nisi fallor, vera principia iuris Pontificii sive Papalis, ex quibus locus noster originem duxit, et ex quibus tota constitutio illustranda nobis videbatur. Caeterum observare iuvat hoc loco, utilissimam esse iuris Pontificii scientiam, et iurium doctorem omnino decere, quia sine ea neque nexus et politia ecclesiistarum in Germania, neque formula regiminis imperii, in qua exponenda ius Publicum versatur, probe intelligi possunt.

Protestantes autem puriora sacra amplectentes et clericis restituerunt, quae eis ex lege divina et praxi primaevae ecclesiae debentur. Maiestas enim illa, et summa sanctitas, quibus clerus Romanus est distinctus, nihil sunt nisi commenta pontificum in dominationis remedium adhibita, auctoritate scripturae, et antiquitatis prorsus defituta. Id, quod historia ecclesiastica, sine qua saepissime nihil videre licet in iure nostro, diserte confirmat. Reyerentia speciali utique digni sunt, qui rite ministerio divino funguntur, et haec etiam clero in nostro iure ecclesiastico tribuitur, ut CHRISTIANVS THOMASIVS praestantis doctrinae vir in dissertatione *de officio princip. Evangelicorum. circa augenda salary et honores ministrorum ecclesiae*, pluribus exposuit. Sed cum isti homines dominandi ingenio saepissime ducti ad administrandam iurisdictionem adhiberentur, idem sane clericalis auctoritatis abusus emerget, quo premunit ecclesia Romana, ut arbitrium, immunitatem et denique exemptionem tueri contenderent. Cuius rei exempla tristia passim vident superioris seculi aetas.

Quod autem speciatim ad poenam excommunicationis attinet, illius omnino rarissimus usus est inter protestantes libertatem conscientiae spiran-

c. 3. X. de transl. episc.

c. 2. 4. X. cod.

c. 13. X. de judic.

spirantes, nec unquam potest, nisi auctoritate Consistorii et ex principiis consensu, decerni, propterea, quod ecclesia nostra neminem e civitate et societate humana valet expellere. Quid? Ne ius quidem minorem excommunicationem seu exclusionem ab usu sacramentorum discernendi solis ecclesiae ministris competere velim, praesertim cum magna causa semper adesse debeat, ad quam diiudicandam clerici, me quidem iudice non valent. Nec primaeva ecclesia illud ius eis tribuit. Incognita enim plane fuit haec excommunicatio veteri ecclesiae, et circa Seculum XIII demum est introducta. Relictum quidem erat illud ius, quod probe sciam, ministris ecclesiae adhuc tempore reformationis, sed et ob abusum est revocatum in plerisque ecclesiis ad iudicia ecclesiastica. Quae cum ita sint, nec alia principia adoptare fas est in puniendis iniuris clericis nostris forsitan illatis. Si quis ergo clericum protestantem violaverit, eum minime excommunicatione sed alia poena gravitati delicti respondentи puniendum esse, affirmaverim.

Haec sunt, Commilitones, quae ad locum illum iuris Pontificii uberiori meditationi Vestrae proponere voluerim, memor scilicet me iuris Canonici etiam doctorem legirime esse creatum. Iam nihil mundum habeo, nisi ut Vos, o Decora nostra! qua pars est, pietate, horiter denuo arma MINERVAE, quae strenuos amat, et desides continent, occupare, et illius auspiciis masculine militare. Illam Musarum deam non sine ratione vereres armis instructam pinxerunt, hasta, galea, clypeo denique decoratam, et pallido vultu minantem; quamvis eam alias pacem coluisse et ingenii dotes exercuisse affirmarent. Sic fallit extrema species— Virilia et Mavortia arma Dea eo scilicet gerebat fine, ut militiam eius sequentes monerentur, in ipsis expeditione et castris parcs molestias esse perferendas, ac in reliquis MARTI dicatis. Militandum ideo MINERVAE auspiciis, oppugnandum, vincendum; sed non nisi acumine ingenii, clypeo doctrinac, veritatis praefidio. Tadibus armis opinionum commenta et ignorantiae monstra sunt debellanda, ne virtutem laedant, fidem corrumptant, morum et vitae integritatem perturbent. Arduum quidem et durum, sed pulcrum, hercle, certamen! Difficilis, sed gloria Victoria! Valere.

Scribebam Kiliae Sept. d. Mich. MDCCLXXII.



Kiel, Diss.; 1777-1800



5b,



Fr. 4. num. 31. 3
1772

COMMENTATIO HERMENEVTICA
IVRIS ECCLESIASTICI
AD CAP. V. X.
DE SENTENTIA
EXCOMMVNICATIONIS

Q.V.A

P 425/

ACROATERIVM
IN ACADEMIA KILONIENSI

DENVO APERIT

IOANNES DIETER. MELLmann D.



LVBECAE
APVD CHRIST. GOTTFR. DONATIVM
Ac MDCCCLXXII.

